cui non mortales accinebant musici, sed imortales, ante quam non Judaea Rex laeto saltu praecedebat sed ipse Caelorum Conditor Deus. Felicem te interim Maria! quae et in terris filium habuisti Deum, et in Caelis eundem, tui triumphi comitem, et applaudentem respexisti. Sed quid longius Caelestium militum gaudia eloqui moror. ibant illi alternantibus suavissimae melodiae concinentibus totumque Caelum hac voces personabant. Quam pulchra es, et quam decora in delitijs tuis O Regina tu velut aurora consurgens, tu pulchra ut Luna tu electa ut sol venisti tandem! Viden ut ad tui adventum Caelestes animae gaudeant! ut plaudant stellae aggratulantur Angeli ipse omnium Caelorum Dominus laetus occurrat! triumpha Maria Maria triumpha, te Caelestes spiritus Reginam salutant te virginum Chori Imperatricem appellant, te Summi Parentis Filius matrem veneratur, iterum Regina triumpha quae tunc erant tua gaudia Virgo gloriosissima erant summa, erant imensa at vero tunc maxima fuisse arbitror, cum post suavissimos ludentium Angelorum modulos post iucundissimos laetantium Caelorum plausus, post ~~Civium~~ Civium supernorum amantissimos amplexus